Cæterum ante omnes Te, qui ætate ac ſapientiâ prior es, ne aliter quid eveniat, providere decet. Nam in omni conatione, qui ſapientiâ vicit, palmam reportat. Vos autem cæteri, quos bonorum meorum hæredes hodie conſtituo, colite et obſervate talem hunc virum, qui ætate et ſapientia antiſtat: Imitamini virtutem et enitimini, ne alii meliores liberos genuiſſe videantur, quàm ego in hoc prolis defectu ſumſiſſe videar.

Joh. Reich, Forſtenſ.

F. N. J.

Imitat.
Orationis Micipsæ
in hypothesi,
conti=
nens
Ultima verba Davidis Regis ad Salomonem fil.

Filium ego te meum, optime fili Salomo, ex Bathſebâ Matre ſuſceptum, magnâ ſpe & expectatione Succeſſorem in Regno conſtitui, exiſtimans, magis Te, quàm Abſolonem aut Adoniam (quos ô ſi non genuiſſem!) ob Sapientiam & plurimas Virtutes dignum Regem fore; neq; ea res falſum me habuit. Nam ut alias magnas et egregias tuas laudes, ut & reliquas promiſſiones Dei, de te mihi factas, quæ item ſunt plurimæ, omittam, noviſſimè hæc mihi, templi auguſti ſtructuram meditanti, contigit promiſſio: Te, filium meum Salomonem, Templum Deo eſſe fundaturum. Præterea hactenus etiam me Regnumq; meum rebus plurimis laudabiliter geſtis decoraſti, tuaq; prudentiâ omnes Iſraëlitas ex amicis amiciſſimos tibi feciſti, ne dicam quod proceritas corporis tui dignitati regiæ tam aptè reſpondeat, ut in te ipſo honor familiæ meæ renovari videatur.

Poſtremò